



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XLII. S. Donatiani Collegivm Cathedrale Brugense in Flandria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

*struxerat ediculum Mandrita Lupambulus ista.*

Lupambulus, id est *VVolfgangus*. Iuuit eum Henricus Dux Bauariæ, pater Sancti Henrici Imperatoris.

Sic ferè Hundius in Melropoli sua Salisburgensi.

## CAPVT XLII.

S. DONATIANI COLLEGIVM Cathedralis Brugense in Flandria.

**S** Donatianus Remorum Archiepiscopus septimus in ordine numeratur, estque translatus ad secundam Comitatus Flandriæ urbem, quæ à pontium multitudine Brugarum nomen habet. Translationis autem hæc fuit occasio, cum Normanni & Dani tertio Flandriam ferro & igne vastassent, Balduinus Ferreus, Forestarius Flandriæ, Iuditham Caroli Calui filiam rapuerat, & uxorem duxerat. Sed pace composita per Nicolaum primum, & Ebonem Rhemensem Episcopum, dotis nomine accepit totam regionem Scalde, Somona, & Greano terminatam: dictusque est Comes regni Francorum, & Marchio Flândriæ, eo potissimum nomine, ut aduersus omnem Aquilonis barbariem, perpetuus foret regni Francorum propugnator. Ebo quoque pacis Frandriæ confirmandæ causa, & ut ferocis gentis animi, cultu religionis mitescerent

rent, *S. Donatiani* corpus Balduino Comiti in Flandriam misit, additis huiuscemodi litteris: Ego Ebo indignus Rhemorum Archiepiscopus, hunc Thesaurum super gemmas & aurum pretiosum, tibi, gloriose Marchio Balduino, nostrorum consilio clericorum, transmitto, Donatianum scilicet, septimū nostræ sedis Episcopum, miræ sanctitatis virum, piū exauditorem, & promptissimum apud Deum intercessorem, tam secularibus angustijs occupatis, quàm peccatorum sceleribus detentus. Quod & nostris & antecessorum nostrorum temporibus satis euidenter comprobatum est. Eius, sanctiq; Remigij, ac innumerabilium sanctorum vitæ scripta, Vandalorum vastatione scias esse deleta. Hunc attestatione diuina tuæ fidei committo, quatenus eum diuino seruitio, in quantum vales, honorifices, & secularibus dites. Vale dilectissime in Domino.

Translatæ sunt autem sacræ reliquiæ, primò ad Turholtum monasterium; deinde iussu Balduino, cum magna celebritate ad portum Brugas.

Anno autem Christi 994. Arnulphus Magnus Flandriæ Comes, condidit nouum templum *S. Donatiani*, legitq; ibi Canonicos Sacerdotes XIII. ex quibus qui Antistes esset, Præpositus appellaretur.

Anno 1089. Præpositus templi *S. Donatiani*, institutus est à Roberto Hierosolymitano, Flandriæ Comite, perpetuus Flandriæ Cancellarius, ac magister monete domus Comitis; Canonici Sacellaniq; eiusdē Ecclesiæ, adscripti in familiam, & inter domesticos

*Comitis. Ita Meyerus in annalibus Flandriæ.*

## CAPVT XLIII.

S. MARIAE ET S. SALVATORIS  
*Collegia in vrbe Brugensi, & alia eiusdem  
diœcesis.*

**B**Rugensis Diœcesis opida sunt ista: Bru-  
gæ, Dammum, Slusa, Ardenburgum,  
Middelburgum, Ostenda, Birflitum, Ar-  
muya, Ostbrouca, Oldenburgum, Oist-  
burgum, & Blancoberga.

In vrbe Brugensi, præter S. Donatiani col-  
legium cathedrale, duo insuper sunt collegia  
Canonicorum: videlicet B. Mariæ Virginis,  
anno 1091. per *Radbodum* Episcopum Torna-  
censem institutum, & alterum S. *Saluatoris*,  
cuius templi prima fabrica & consecratio D.  
*Eligio* adscribitur. Ita Marchantius in descri-  
ptione Flandriæ lib. 1.

S. MARIAE COLLEGIVM ARDEN-  
*burgense, in d. Brugensi.*

**A**Rdenburgum diœcesis Brugensis est o-  
pidum, tertio milliari à Brugis situm,  
quod bellè furoribus nunc penè prostratum,  
iacet. In hoc opido *Mihael* Episcopus Torna-  
censis anno 1296. collegium Canonicorum  
inchoauit, in templo longè pulcherrimo ac  
celeberrimo: teste Marchantio, in *Commen-  
tarijs Flandriæ.*

MID-